



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

24. De opere sextæ diei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

MEDITATIO XXIV.

De opere sexta diei.

PUNCTUM PRIMUM.

Gen. 1. **D**ixit Deus: producat terra animam viventem. 1. post aquas & aërem, replevit terram animantibus ex ipsa similiter productis pro imperio, alia alijs potissimum locis, ut conveniebat naturis, ac de alimento convenienti providit illis, & quidem singulis. Quanta potentia, & providentia! 2. Tria recenset genera: jumenta, sic dicta quod juvent hominem, ut sunt domestica; reptilia, à motu, bestias sylvestres, & feras. In quovis genere diversas species, & verò multas cum miris proprietatibus: de quibus gloriatur Deus apud Job, & de providentia circa illa, quanto ampliorem habeat hominis, propter quem illa! 3. Commoda ex eis multa, & magna percipit homo: nutritur, vestitur, calceatur, ornatur, juvatur, docetur: *Vade ad formicam, piger!* Gratias agam pro bono concesso ipsis animantibus, quæ nequeunt per se agnoscere Auctorem: & quia id est totum meum.

PUNCTUM II.

Etiam è nocivis. **V**idit quòd esset bonum, etiam reptilia, licet venenata; & bestia, licet noceant: nam ita subjecerat homini, ut nisi peccasset, lædi nequisset. Et nunc justitiæ instrumenta: sed & in

Ps. 70

13.

Sapie

riæ d

nz in

vent

1

Heb.

3.

II

Gen.

Gen.

1. R.

3.

II

I

in ijs conspicitur providentia, dum non lædunt, nisi permisso Dei, ut significat Sapiens : *Creatura tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos : & lenior fit ad beneficiendum pro his, qui in te confidunt.* *Sap. 16. 24.*

Deinde docent hominem, quid sequendum, aut fugiendum : *Estote prudentes sicut serpentes : & à jumento dicimus subjici divinæ legi : Vi jumentum factus sum apud te. Contrarò vitare stoliditatem : Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus. Er : Nolite fieri sicut equus & mulus.* *Matt. 10. 15. Ps. 72. 22. Ps. 48. 13. Ps. 31. 9.*

PUNCTUM III.

CUr non benedixit terrestribus animalibus, sicut alijs. 1. Quia eadem die erat facturus hominem, eique benedicturus : & in homine etiam istis, ut quæ cum homine in terra habitarent. 2. Quia benedictio istorum pendebat ex justitia hominis. Quare ludæis promisit multiplicationem utilium animalium, si legem custodirent ; aut contra fore, ut deficerent ; feræ autem, & venenata auferentur. Attamen ibidem similiter de fructibus terræ loquitur, & aliæ etiam animantes possunt ad præmium & pœnam pariter cedere. *Non benedixit animal. terrestre. 1. 2. Deut. 28. 1. e. 32. 23.*

Intelligam quòd passiones brutales in homine invalescunt, cum secundum voluntatem rationalem ipse non est subjectus Deo : contra verò debilitantur, & cicurantur, obsequen-
tesque

tésque fiunt rationi, cùm Deo homo subjacet; adeò, ut etiam juvent ad virtutem, & caro ipsa.
Pf. 83. 3. exultet in Deum vivum.

MEDITATIO XXV.

De creatione hominis.

PUNCTUM PRIMUM.

Creatio hominis **E**Adem die cum bestijs creavit hominem, ut commonefaceret humilitatis, dum considerat se cum illis participare naturam animale[m] & sensitivam.

Deus in creatione viventium cœpit ab imperfectioribus, & sensim ad perfectiora progressus est: quo monemur profectus quotidiani in virtutibus, & ut cantemus Deo quotidie canticum novum, ex novo profectu.

Postremò creavit hominem, ut perfectissimum, & in quo omnem naturam copulabat, & cujus causâ erant cætera, ac ita, ut statim eis frui possit, veniens ad habitationem plenè instructam.

PUNCTUM II.

Mysteria.
1.

Pf. 79.
15.

ALiter in creatione hominis loquitur Deus, 1. non ait; *Fiat, aut, producat terra*: quòd homo secundùm animam non fieret ex aliquo, sed à solo Deo ex nihilo: quo monemur, ut & ipsum super omnia diligamus, à quo solo sumus. O Deus! *perfice vineam hanc, animam istam, quam plantavit dextera tua.* 2. ait *facia-*

Pf. 70

13.

Sapie

riæ d

nz in

venta

1

Heb.

3.

II

Gen.

Gen.

1. R.

3.

II